

(X 1880 687)

AK 511, 7

COLLEGII JURIDICI
IN
ACADEMIA WITTEMBERGENSI
h. t. DECANUS
G. MICHAEL
HEBER, D.
BENEV. LECT.

S. P. D.



VITTEMBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.



COLLEGIUM IURIDICUM
IN
ACADEMIA WITTEMBERGENSI
P. DECANUS
G. MICHAEL
HERBERG
RECTOR

VD 109543 MT 001





Q. D. B.

JACOBO II. Magnæ Britanniaë
Regi paucis abhinc mensibus Re-
gnum ab Ordinibus Angliæ abro-
gatum fuisse, nemo tam imperitus
rerum est, qui ignoret. Causæ
exauكتورationis præcipuæ hæ feruntur: partim,
quod contra fidem jurejurando datam Patria sacra
patriosq; ritus mutare annisus fuerit, partim quod
insultaverit publicæ libertati & adscitis pro libidine
in Conventum Ordinum hominibus suæ fidei pro-
priis munia Senatûs Magistratum ac Legum in se
traxerit, tum quod subdititium filium pro vero ac
regni legitimo successore agnosci voluerit. Ex eò
tempore de Justitiâ facti, quod aliis pessimum aliis
pulcherrimum, ut fieri solet, visum, disquiri cœptum
est. Ac licet de hujus generis controversiis pronun-
tiare temerarium ac parum tutum Forstnero judice
sit, veterum tamen in disputando modestiam se-
qui nobis integrum, nî fallor, erit, qui vix unquam
de rebus, in quibus aliqua inesset obscuritas, affir-
matè pronuntiarunt. Videamus itaq; quoniam
ita occasio fert, quid pro Anglicani Facti defensio-

A 2

nc

ne afferri queat, tametsi nobilissima gens umbrati-
cis nobis defensoribus haud egeat, sed suis se armis
ac inclito GVILIELMO Rege facile tueatur. Ac pri-
mum quidem, ut in rem presentem veniamus, qui
Reges Magnae Britanniae sunt, non nomine tantum
sed re Reges ac regio jure Reipubl. praesse cense-
mus. Ut maxime enim se absque Consensu Ordini-
um Leges non condituros promittant, quia ta-
men non promittunt, se etiam invitos id, de quo
Ordines consenserint, pro Lege admissuros, eorum
Majestati nihil decedere existimandum. Quod e-
nim volentes sequuntur & tanquam bene delibe-
ratum approbant, id summo imperio minime offi-
dit, cum contra, si invitati sequerentur, ipsam maje-
statem eversum irent, & supra se agnoscendo alio-
rum jussu, aliud civile imperium admitterent.
Porro autem, quamvis summam potestatem Regi-
bus Angliae tribuamus, eam tamen Legibus, ut
appellant, Fundamentalibus, hoc est certis condi-
tionibus, quae futuro Imperii Gubernatori pro-
poni solent, valde circumscriptam esse per-
tendimus, ac facile Philippo Comineo assenti-
mur neganti, inter omnia Orbis terrarum regna
esse imperium, ubi publicum moderatius tracte-
tur, & ubi Regi minus in Populum quam in Angliam
liceat. Quibus ita constitutis, istud in praesentia
tantum in argumento, quod alias latissime patet,
discutere consilium est, an quod JACOBUS II. Le-
ges

ges Fundamentales violaverit, inter quas non potestremum timentur locum, quæ de Patrio Cultu ac sartâ recta conservanda Ordinibus pristina Concilii libertate proditæ sunt, justè ab Ordinibus Regno fuerit exutus. Quâ in re non necesse est eorum præsidio uti, qui quemlibet Populum aut certe Anglicanum Rege superiorem faciunt. Quod *Georgius Buchananus*, *Job. Miltonius*, *Stephanus Junius Brutus*, aut qui sub isto nomine latitare creditur *Hubertus Langvetus* aliique vehementer urgent. Quibus solidioris Philosophiæ Civilis scita cum *Hugone Grotio* & gravissimis ad Eum Commentatoribus adversari existimamus, qui superioritatem Populi cum summo Principis imperio, eò, quod summæ potestatis proprium sit, ne ejus actus ab alio irriti reddi possint, stare posse negant. Potius uni istirei insistemus, verisimile admodum esse, ut si modus & conditiones præfinitæ imperio sint, iis non obtemperans, is, qui imperat, jure imperii excidat. Ut ita sentiamus, movemur eò, quod Populi certis conditionibus se alicujus imperio submittentis animi sententia procul dubio ea sit, ut si is, qui sub istis conditionibus imperium accepit, iis non pareat, parendi nexus solvatur. Quis enim dubitat, si exploratum habuisset Populus, Principem

delat.

delatis conditionibus non obtemperaturum, quin
eum ne quidem Regem sumturus fuisset? Ac si am-
bigatur, an ista mens populi fuerit, & annon potius
constringere tantum arctius istis conditionibus
conscientiam Principis voluerit, ad id, quod Popu-
lo utilius sit, respiciendum esse putamus; id enim
voluisse credibile est. Utilius autem quin sit popu-
lo, ut Principe contra promissum veniente, si cæte-
ra sint paria, & res sine metu majoris mali commodè
effici possit, obsequium detrectare & alii addicere
possit, ipsa rei opinor evidentia declarat. Neque
verò ipse Princeps, cui denegatur obsequium, in-
juriâ afficitur, cum id damnum suâ culpâ sentiat,
adeoq; id non sentire intelligatur. Utut enim nunc
fortasse invito ipso accidat, quod à subjectis hæcte-
nus destituitur, memorem tamen illius Grotiani
ipsum esse par erat, involuntarium ex voluntario
ortum habens moraliter pro voluntario haberi.
Multo autem minus Deo summæ potestatis aucto-
ri injuriam fieri credendum, quem in conferendâ
summa potestate hominum voluntati non injustæ
& conventionibus attemperare se dubium non est,
quippe cum & ipsa summa potestas hominum cau-
sa constituta sit, & dividi jura Majestatis in formis
Rerumpubl. Mixtis sinat, & ipsi summæ potestati
tempus, modum & conditiones apponi, prout cui-
que Populo expedire visum fuerit, non invitus pa-
tia-

tiatur. Quemadmodum igitur Populus in Regis
alicujus imperium consentit, ut summâ potestate
gaudeat, quamdiu certis conditionibus, quæ non
summitati, ut loquuntur, sed plenitudini imperii
derogant, obtemperaverit; si secus fecerit, ut tùm
Parendi nexus solutus sit; ita quoque Deum sum-
mam potestatem in Regem transferre, sic tamen, ut
ista cesset, sicubi conditionibus acceptis non stete-
rit, non est absurdum. At fortassis indoles summi im-
perii non permittit, ut summum esse desinat illud,
conditionibus & modo, sub quibus commissum e-
rat, non impletis. Ab his, qui ita colligunt, requi-
ro, an ad summitatem Imperii pertineat ut & per-
petuum sit, & an quod tempore circumscriptum est,
propterea summum non sit habendum. Quid?
Dictator Romanus non habebat summam potesta-
tem, quia sex menses tantum imperabat? Aliter
certè sentit *Hugo Grotius*, & cum eò Præstan-
tissimi Commentatores. Neque piget adscribere
Grotii verba: *Rerum moralium, inquit, na-
tura ex operationibus cognoscitur. Quare,
quæ facultates eosdem effectus habent, eòdem
nomine nuncupande sunt. At dictator intra
tempus suum omnes actûs eòdem jure exercet,
quò Rex, qui est optimo jure; neque ejus actus ab*
alio

alio reddi irritus potest. Duratio autem natu-
ram rei non immutat. Quis autem inficias iverit,
si Dictator ultra præfinitum tempus imperare ausus
fuiſſet, Romanis licuiſſe non obedire, cum ab ini-
tio obſeqvium non aliâ lege ipſi addiſſent. At
quæ discriminis ſolida ratio dari poteſt, ut jus qui-
dem ſit civi denegare obſeqvium Principi ultra
tempus poteſtatem extendenti, ei autem, qui ſub
conditione & modo addixit obſeqvium, eis non im-
pletis aut inſuper habitis, id fas non ſit. Annon con-
ditio & modus æq; terminant imperium & tempo-
rarium eventu faciunt, ac tempus? niſi quod, ut ultero
fatemur, non æq; evidenter apparet, quando Ci-
vis ob non ſervatas à Principe conditiones juſtè non
parere poſſit, quàm ubi id ex lapſu temporis liqui-
dum eſt. Id quod tamen ut extrinſecus adveni-
ens ex diverſa temporis & conditionis natura ſe ipſam
afficere nequit. Pariter enim Jus non parendi in
Cive, quando conditione inſuper habita Imperium
regis extinctum, atq; quando tempore finitum
eſt, reviviſcit. Ut ut majori cautione & acerrimo
judicio opus in iſto caſu ſit, ne nimis præceps fera-
tur populus, & propugnando jus ſuum, juris aliquid
regi, quod ſacroſanctum eſt, violet. Quod ſi quis
iſta difficultate urgeri noſtram ſententiam exiſti-
met, quod Populus certis conditionibus imperium
Regni deferens, clauſulam tamen iſtam: ut ſi eis
non fuerit paritum, nexus parendi ſolutus ſit, adde-

re

re non soleat, ei reponimus, istam clausulam taci-
te & naturâ suâ Pacto illi à Principe acceptato ines-
se, omitti autem consultò vel honoris causa vel bo-
ni ominis gratia, quia, quando Populus cum Prin-
cipe paciscitur, benè de eò sperat; & nimis profe-
ctò in civile esset, mox sub auspiciis Imperii
Principem tam odiosè monere, quid cavere debe-
at, cum ne in privato quidem Syngrapho pacisci
moris sit, ut si debitor non steterit promissis, liceat
iudicio contra eum experiri, licet id sponte ex obli-
gationis vinculo sequatur. Neque etiam in Di-
ctatoris imperio unquam additum fuisse, ut si ultra
sex menses summa potestate uteretur, populus ab
obsequendi necessitate immunis esset, reperimus,
cum id nec monitus intelligere per se facile poteret.
Postremò nec illud ad rem pertinet, quod pericu-
losum oppidò & lubricum sit, Populum in propriâ
causa iudicem constituere, cum semper futuri sint,
qui injuriam sibi à Principe factam, & contra fi-
dem datam peccatum conqverantur, aliis regnan-
di libidine, plurimis novitatis studio, aliis ob justè
sibi pœnas inflictas odio Regis facta perstringenti-
bus. Quod si enim iniquum videtur Læsi iudicio
lædentis factum subicere, tùm ne unquam quidem
genti in gentem ob res injustè ablatas aut non red-
ditas bellum movere licebit, cum & hîc sæpe pec-
cetur, & gens à gente satis promptè hostis non raro

B

præ-

præter meritum pronuntietur. Scilicet non patitur rerum humanarum conditio, ut Hominum actus ab omnibus incommodis liberari queant. Dandum itaq; aliquid imbecillitati generis humani & id saltem cavendum sedulo, ne sine gravi causâ & exactissima deliberatione temerè populus ad jus non Parendi provolet. De cetero non dissentimus ab iis, qui potestatem cogendi Principem ad promissa implenda Populo competere negant. Rectè enim ea facultas ob defectum superioritatis & qualitatem personæ Principis Populo adimitur. Sed nos jus non parendi à jure cogendi accuratè cupimus distingvi. Nempe quando Populus certis conditionibus Regi imperium defert, Pacto isto, quò conditiones comprehensæ sunt, obligat Principem ad promissa præstanda, ipse autem Populus isto Pacto ad obsequium obligatur, sub conditione tamen, si Princeps conditionibus pactione comprehensis steterit. Quod si populus fidem fallat, ex obligatione istâ nascitur Principi cogendi jus, ut invitum etiam Populum ad obsequium adigere possit. Sed si Princeps à fide datâ discedat, Populus ad conditionum implementum propterea Principem cogere nequit, quod superioritate destituitur, quæ in Principe residet. Hujusmodi enim conditionum adjectione summi natura non convellitur, cum secundum regulam interpretandi vulgari-

ga-

gatam, nulla conditio impediatur Principium essen-
tia Contractus, & pura traditio Imperii esse possit,
licet sub eventu resolvatur. Quis igitur effectus e-
rit obligationis istius, quâ sibi populus Principem
devinxit? Respondent Morum Interpretes, obliga-
tionem istam non esse sine effectu, hunc enim habe-
re, quod conscientiam Principis arctius constringat,
hanc judicem constituat, & Deum vindicem.
Miserum verò populum, qui obligationis, quâ
Principem sibi adstrinxit, effectum soli Principis
pudori relinquere necesse habet! Exiguam Mife-
riæ solatium, quod ex divinâ ultione, quæ sæpè diu
differtur, nonnunquam, quia poenituit facti, pror-
sus remittitur, ad populum redundare potest!
Haud paullo insignior effectus erit, si jus non paren-
di populo asseramus, quem etiam, quando se sub
conditione obligavit, intendit. Neque dici potest,
si jus non parendi competit populo propterea,
quod Princeps contra promissa veniens imperio ex-
cidit, & in privati conditionem redactus est, caus-
sam idoneam afferri nullam posse, quamobrem
non etiam ut alius aliquis privatus cogi ad adim-
plenda promissa in republ. per judicem, aut si id res
non ferat, aliis jure gentium concessis modis possit.
Ratio enim discriminis inde arcessenda, quod qui
Principem ad promissa adimplenda cogere parat, ipsum
adhuc in ceteris agnoscit tanquam personam publi-

eam summâ potestate præditam, nec ipsius impe-
rium penitus detrectat, adeoque jure cogendi ob
defectum superioritatis destituitur, qui autem non
paret, haud obscure præ se fert, nexum parendi in-
ter se & Principem solutum esse. Quæ hætenus
exposita sunt si transferantur ad causam, in quâ ver-
samur, non injustum videri factum Anglorum
potest, qui, postquam, ut relatum accepimus, JA-
COBUS II. Religionem Legibus & Moribus pro-
batam, quam se defensurum jurejurando confir-
mavit, omni ope extirpare & aliena sacra Regno in-
ferre conatus est, obsequii vinculo, quod sub con-
ditione, si Rex tueretur Religionem Patriam, addi-
xerant, se solutos existimantes, occasione id ita fe-
rente novum sibi Regem imposuerunt. Cujus fa-
cti justitia imprimis Pontificiæ Religioni addictis se
approbare debet, si meminerint, Gallos HENRI-
CO IV. ut legitimo Regni Successori non prius
Regni fasces commisisse, quam is, ut Leges Funda-
mentales postulare dictitabant, ad Pontificiam Re-
ligionem transisset. Quod factum uti non pror-
sus consimile Facto Anglorum est, ita quod ad ju-
sticiam attinet, multa cum eò habet communia.
Sed plura in hanc rem Oratione solenni commen-
tabitur Cl. Candidatus noster, DN. FRIDERI-
CUS AUGUSTUS LUEDECKE, cujus honoris
cau-

causâ istud præfari opportunum visum fuit. Edi-
tus is in lucem Halæ Saxonum Anno à N.C. M.DC.
LXIX. XII. Kal. Jun. Patrem sortitus est, Am-
plissimum Consultissimumqve DN. JACOBUM
LUEDECKE, Præfectum Giebichensteinensem,
cujus viri virtus, quam tot annis in gravissimis ne-
gotiis abunde probavit, notior est, quam ut mul-
ta de eo commemorari necesse sit; Matrem orna-
tissimam Matronam MARIAM CATHARI-
NAM, DN. M. CONRADI LEMMERI, Pa-
storis quondam Calbensis filiam. Qui optimi
Parentes, quorum miram in se indulgentiam vehe-
menter deprædicat, à teneris statim iis artibus eru-
diendum curarunt, quæ isthanc ætatem cumpri-
mis decent, & ad magna surgentem indolem gra-
vioribus studiis præparant. Domi ob eam rem
Admodum Reverendo Viro DN. JACOB BER-
TRAM, Pastori h. t. Neo-Haldenslebeni commif-
sus fuit, cujus fide ac industriâ singulari factum est,
ut procedentibus annis in Gymnasio Patrio Viro-
rum Clarissimorum, DN. M. JOHANNIS PRÆ-
TORII, Rectoris optimè de juventute meriti, &
qui eum Ordine excipit DN. M. CHRISTIANI
ALBERTI ROTII, institutione uti maximo
suo cum fructu posset. A quibus Doctissimis Vi-
ris, cum ingenio Nostrum valere intelligerent, ni-

hil prætermiffum fuit, quod ad excitandum illud ac
provehendum quotidie faceret. Quamobrem ex
iftâ contentione ingenii & affiduo ftudio id confe-
cutus quoque eft, ut nondum XVII. annorum A-
dolescens spatia hujus Academiae Anno M. DC.
LXXXVI. ingrederetur. Ac primum quidem
cum huc veniffet, ad Philofophiam Morum ani-
mum appulit, Doctorem fecutus ut in omni Do-
ctrinae genere ita & in hâc Eruditionis parte Excel-
lentiffimum Virum DN. CHRISTIANUM **Röh-
renfee** / Philofoph. Mor. Prof. Publ. celeberrimum.
A quo cum difcefiffet, totum fe Jurisprudenciae
ftudio addixit, & Excellentiffimis plerisque Juris An-
tecefforibus Magnifico DN. ZIEGLERO, cum
is Institutiones Juris Canonici *Francifci de Roy*,
interpretaretur, B. DN. VVILHELMO LEI-
SERO, publicè de Domaniis explicanti & priva-
tim difputanti Examinantiqve, DN. D. GODO-
FREDO STRAUSSIO, Tit. Dig. de Acquir.
vel amitt. Poff. exponenti affiduè operam dedit,
sub cujus etiâ Præfidio publice de Testamentis di-
fputavit, omnibusq; ac fingulis cum ob ingenii fe-
licitatè tum ob diligentiam incredibilè magni fem-
per æftimatus fuit. Præcipuè autem cum ejus fidei
imprimis ab Optimo Parente commendatus efferet,
Præ-

Præceptorem ac Magistrum studiorum coluit No-
bilissimum Excellentissimumque DN. D. JOH.
HENRICUM BERGERUM, h. t. Recto-
rem Magnificum; quò Interprete quicquid solidi
ULRICI HUBERI, Positiones ad Institut. & DN.
D. STRUV. Jurisprud. Rom. Germ. Forens.
SCHNOBELII Disputationes Feudales & LAU-
TERBACHII Compendium juris continent, fami-
liare sibi reddidit, ac duas prætereà Dissertationes
varias Juris Positiones complectentes Eò Præ-
sidente, plaudentibus omnibus publicè defendit, ra-
roque exemplo obtinuit, ut vix XX. anno-
rum Juvenis non ita pridem in Numerum Candi-
datorum adscribi desideraret. Quum nemo ex
JCtorum Ordine refragaretur, sed honestissimum
desiderium omnes probarent, impetravit facilè,
ut mox dies primo Examini diceretur; in quò ex-
pectationi omnium abundè satisfecit, ac docu-
mentum insigne dedit, non annorum sed ingenii
atque industriæ rem esse doctrinam & præclaram
Eruditionem. Nunc in eò occupatus est, ut, quæ
reliqua sunt, specimina edat. Ac cum suum quo-
que inter ea locum tueatur Oratio Solennis, Cras
Horâ IX. *Num injustè JACOBUS II. Re-
gno M. Britanniae exciderit*, non futilibus con-
quisitis in eam rem argumentis disquiret. Superest,
ut

ut MAGNIFICUM ACADEMIÆ RE-
CTOREM reliquosq̄ve PROCERES AM-
PLISSIMOS, ac CIVES deniq̄ve ACADE-
MICOS summis orem precibus, ut huic favere
liberaliter instituto & facientem verba Cl. Candi-
datum nostrum benevolè ac per silentium audire
haud gravatim velint. Extremùm Nobilissimi
Commilitones exorandi sunt, ut eidem Candida-
to, L. 10. C. de Legat. publicè ab Horâ II. inter-
pretaturo frequentes adesse ne graventur. P. P.
DOMINICA XI. POST TRINITATIS
Anno clb lbc LXXXIX.



Don II K 3486 a, 04

1019

nc.

AK511,7

(820087)

CO
 ACADI
 h
 G. M
 H
 DICI
 ERGENSI
 US
 AEL
 , D.
 T.



Typogr. a. Typogr.

